



INDEX.

- I. Excerpta controversiarum illustrissim de Pedro Vellejano.
- II. — — — de sponsalibus.
- III. — — — de testamento ex iure publico, fideiuali  
et canonico.
- IV. — — — de testamento inofficiose.
- V. — — — de Testamentis Principum Imp.
- VI. — — — de Successionibus ab intestato quoad  
ascendentes et collaterales.
- VII. — — — de confilio.
- VIII. — — — de comodato.
- IX. — — — de cambio.
- X. — — — de actionibus.
- XI. — — — de artibus.
- XII. — — — de aedificiis.
- XIII. — — — de fiduciis.
- XIV. — — — de servis imperii.
- XV. — — — de donationibus mortis causa.
- XVI. — — — de liberis illegitimis.
- XVII. — — — de legitima.
- XVIII. — — — de lege Rhodia de jactu.
- XIX. — — — de iurice et epus officio.
- XX. — — — iure verant.
- XXI. — — — de rebus pro derelictio habitiis.
- XXII. — — — de patria potestate.
- XXIII. — — — de pretio in embione venditione.
- XXIV. — — — de usu auctoribus.
- XXV. — — — de vi publica vel privata.
- XXVI. — — — de Testamento.

Wd. 79.

*Q. D. B. V.*  
DISSSERTATIONIS JURIDICÆ,

*D E*  
**TUTELIS,**  
PRIORA CAPITA

*PRÆSIDE*

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo,  
Consultissimo atq; Excellentissimo*

**DN. JOHANNE HENRICO  
FELTZIO,**

J. U. D. Pandect. & Juris Canonici

P. P. Ordinario, & Capituli Thomani  
Canonico,

*SOLENNI Disquisitioni*

Ad d. 18. Februarij Anno M DCC V.

*sætit*

**JOH. JOSEPHUS MANNIERE,**  
Molshemensis, Auctor.

---

*ARGENTORATI,  
LITERIS JOSIAE STÆDELII, Acad. Typogr.*



Reverendo ac Clarissimo  
V I R O  
DN. JO. GEORGIO  
WINTERER,  
Parocho in Hipsen, Limmersheimb  
& Ichtratzheimb,  
FRATRI SVO VTERINO,

*Quod liberali manu hactenus ad studia sumptus  
suppeditare & affectu plusquam Fraterno me prosequi  
voluit*

EXERCITIUM HOC ACADEMICUM  
*sacrum esse cupio*

JOHANNES JOSEPHUS MANNIERE,  
Molsheimensis, Auctor & Resp.





I. N. D. N. J. C.

## CAPUT I.

*Quid & quotuplex Tutela.*

### THESIS I.



Utelam à tuendo di-  
ci evincit §. 2. *Instit. de  
Tut. &c l. 1. §. 1. π. eodem.*  
Sicut enim æditius debet  
tueri ædes sacras ita Tutor obstrictus tue-  
ri atque defendere pupillum.

### THES. II.

Vox tutelæ aliquando capitur pro  
qualibet defensione & conservatione  
cujuslibet rei veluti pro defensione cor-  
poris sui, l. 3. π. de *Justitia & Jure*, pro de-  
fensione ædificiorum l. 7. §. 16. π. *solut.*

A. 2

Ma-

*Matrim.* quemadmodum pro tuitione rerum dotalium *l. 15. π. de impens. in res dot.* pro defensione rerum in aliquod prædium illatarum, *l. 1. Cod. de verb. Εγγρ. sign.* Hoc vero loco sumitur pro defensione pupilli unde Tutores quasi tutores pupilli atque defensores appellantur *§. 2. Instit. de Tut.* Εγγρ. *l. 1. §. 2. eod.*

## THES. III.

Est vero tutela ut Servius peritissimus ille dialecticus quem Cicero hoc nomine laudat *lib. 2. de Offic.* definivit & ab Ulpiano in *l. 1. π. de Tutelis*, & ab Imperatore in *Instit. hoc Tit.* recensetur, vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum qui propter ætatem se defendere nequit Jure Civili data atque permissa. In definitione hâc cum multæ occurrant controversiæ, summarie eas referre & certa inde asserta formare animus est.

## THES. IV.

Tutela recte *vis* Εγγρ. *potestas* dicitur, quomodo eadem hæc verba eodem titulo repe-

repetuntur §. 2. *Inst. de tut.* & juncta quoque reperiuntur in Interdicto quorum bonorum §. 3. *Inst. de interdictis* nec non *l. i. π. de noxal. action. l. 7. Cod. de Codicillis.*

## THES. V.

*Vis* vero non est aliqua violentia offensiva & injusta quæ vel domino in servos inhibita est, §. 2. *Inst. de his qui sui vel alieni;* magis adhuc parentibus in liberos quia patria potestas in pietate non atrocitate consistere debet *l. i. π. ad legem Pompeiam de parricidiis,* maxime vero tutoribus ne dum quis pupillum defendere debet, eum offendat aut lædat, sed vis est magis defensiva sive virtus & efficacia juris, quæ sese exerit in suppletione voluntatis, dum tutor author sit pupillo, debilisque ejus voluntatem supplet, sicut potestas tutoris administrationem respicit.

## THES. VI.

Quando actio tutelæ ex quasi contractu oriri dicitur §. 2. *Inst. de oblig. quæ quasi ex contr. tutelæ vox pro effectu istius*

A 3                      potestas

potestatis vel pro administratione & gestione accipitur.

### THES. VII.

Nec Tutela actus legitimus est ; licet enim dependeat ex speciali lege tutoris datio, princ. & §. 1. de Attiliano tut. l. 8. pr. de tut. dat. juncto tit. de officio eius qui vi-ces alicuius Judicis obtinet , attamen aliud est tutoris datio quæ tunc ad actus legitimos referri potest l. 77. π. de regulis Ju-ris, aliud tutela ipsa. Ut rem paucis comprehendam, Tutelæ datio est actus legitimus , tutelæ suscepitio quasi contractus, tutela ipsa vis & potestas.

### THES. VIII.

*Caput liberum* hic pupillum notat tanquam hominem qui absolutè sui juris est; nec enim Patri subesse potest nec domino l. 6. §. ult. & 14. pr. π. de tut. Cum tutor etiam filius familias sit, pr. Instit. qui testam. tut. dar. poss. & l. 9. de His qui sui: unde fit ut tutor huic capiti libero opponatur, §. 2. Instit. de tut.

### TH. IX.



## THES. IX.

*Tuitio tutoris principaliter personam pupilli respicit, l. 30. π. de administ. & peric. secundario etiam bona l. 1. π. de legit. tut. l. 12. §. 3. π. de administ. & peric. ut tutor differat à Curatore qui bona principaliter & personas secundario spectat l. 6. §. ult. π. de tut. l. 8. Cod. de Nuptiis.*

## THES. X.

*Per verba Jure Civili jus naturale non excluditur, sed saltem determinatur; cum iuri naturali conveniens sit, ut ille qui perfectæ ætatis non est, alterius tutelâ regatur & defendatur §. penult. Instit. de Attilio tut.*

## THES. XI.

*Ætatis respectus habetur nempe pupillaris quæ subsequentium annorum principium est ut tutor differat à Curatore qui ob longè plures alias causas constituitur §. 3. Instit. de Curat.*

## THES. XII.

*Ultima verba data & permissa modum,  
quo*

quo tutor fit, respiciunt, nempe à lege immediate ut legitimus vel lege permitente ut reliqui *arg. l. II. π. de verb. significat.*

### THES. XIII.

Dividi tutela potest varie; nam ratione originis est vel testamentaria *toto tit. π. de test. tut.* vel legitima *toto tit. π. de legit. tut.* vel dativa *toto tit. π. de tutoribus & Curat. datis.*

### THES. XIV.

Testamentaria est, quæ à parentibus jure potestatis patriæ in liberos suos impuberis testamento constituitur & defertur, & omnium prima est; quamdiu hæc speratur cessat legitima *l. II. π. de testam. tut.*

### THES. XV.

Subdividi hæc potest in tutelam testamentariam *absolutè dictam de qua agitur §. 3. Instit. de tutelâ & toto tit. Instit. qui testam. tut. dare poss. & secundum quid testamentariam sive mixtam quæ occasio- nem ex testamento habet, sed vim à Magistratu*

stratu accipit. Unde cum testam. & dative cognitionem quandam habet ; magis tamen dativæ accensenda est quam testamentariæ quoniam Magistratus tutorum à defuncto non rite datum demum confirmat , & hac confirmatione vim ac valorem ei tribuit l. 23. π. de excus. l. 3.  
*Cod. de tutelis* & toto tit. π. de Confirm. tut.

THES. XVI.

Legitima est, quam deficiente testamentariâ lex ipsa defert, l. 11. π. de regulis Juris. Hæc respiciebat saltem masculos arg. tit. Instit. de legit. patr. tut. in verbis : Si à fœminâ impubes manumittatur alius fit tutor ; hodie tamen etiam cadit in fœminas intimo affectu conjunctas unde forsan non male subdivideretur in extraordinariam seu irregularēm seu anomalam quæ contra communes juris regulas personis ascendentibus fœminis deferuntur, Nov. 118. cap. 5. & ordinariam quæ Masculis conceditur.

B

TH XVII.

## THES. XVII.

Olim quidem deferebatur agnatis seu legitimis, pr. *Instit. de legit. agn. tut. ob jus successionis arg. tit. Instit. de legit. pa-tron. tut.* Hinc ratione successionis exten-debatur ex mente legis ad patronos, *toto tit. Instit. de legit. patron. tutelā.*

## THES. XVIII.

Ad similitudinem concedebatur pa-rentibus qui impuberes emancipaverant, *tit. Instit. de legit. parent. tut. tit. 18.* tan-dem fratribus in fratres à patre communi emancipatos quæ fiduciaria appellabatur à contracta fiducia, qua pater manumis-for in manumittendo utebatur, in cuius locum filius majorenxis succedebat, *tit. Instit. de fiduciariā tutelā,* hodie omnibus cognatis in genere *Novella 118. cap. 3.* ita tamen ut proximiores præferantur remo-tioribus, *Nov. 118. cap. 3.*

## THES. XIX.

Tutela tandem dativa est quam ces-sante legitima Magistratus competens,  
*toto*

toto tit. π. de tut. **E** Curat. ad petitionem  
successorum veluti matris, & propinquorum,  
l. 2. §. 1. π. qui pet. tutores l. 6. 9. 10.  
Cod. eodem & l. 10. Cod. de legitimâ Hare-  
dit. vel etiam ex officio constituit l. 6. Cod.  
qui dare tutores possunt l. 1. π. de Jurisdi-  
ctione.

## THESES. XX.

Ratione tutorum triplex est tutela alia honoraria l. 3. §. 3. de administratione tut. quæ tutori primario in reliquo inspectionem concedit. dict. lege alia Notitia Causa delata quæ reliquis informationem dat. l. 14. §. 6. solut. l. 32. §. 1. de testamento. tut. alia administrationis causa quæ gestiones respicit l. 14. §. 1. de solut.

## THESES. XXI.

Dividi porro posset tutela in *delatam*,  
& *susceptam*; quarum illam qui potesta-  
tem habet effugere potest. Hanc vero de-  
serere nequit, §. 3. *Instit.* *de excusat.* *tut.*  
& à quarum illa redux Reipublicæ causa  
immunis est ad annum, §. 2. *Instit de ex-*

B 2 *cusat.*

cusat. tut. hanc vero statum recipere debet, dicto §.

THES. XXII.

Dividi etiam posset in durantem in quâ nisi suspicionem quis incurrat Jure Civili tutor ad rationes durante officio cogi nequit arg. l. 9. §. 4. π. de tut. Et rationibus distrahend. & in tutelam finitam quæ rationum reddendarum necessitatem imponit, l. 9. Cod. arbitr. tut.

THES. XXIII.

Rursus in tutelam indivisam & divisam, arg. tot. tit. Cod. de dividendâ tutelâ; & enim harum specierum quælibet certa jura à juribus specierum reliquarum distincta post se trahit.

CAP. II.



# CAPUT II.

## *De Origine Tutelæ.*

### THESIS I.

**O**RUM suum quælibet tutela habet ex Jure Naturali; impuberis enim in tutelâ esse naturali conveniens est juri, ut is qui perfectæ ætatis non est alterius tutelâ regatur, §. 6. *Inst. de Attil. tut.* Cum tamen Jus naturale non determinet quis defensionem tales suscipere debeat, in adjutorium venit lex Civilis in omnibus tutelarum speciebus quæ determinat quis tutor fieri possit, quis teneatur, quomodo detur, quo usque potestas ejus se extendat, quomodo conveniatur & aliquando tutor esse desinat.

### THES. II.

Exerit tamen hanc lex potestatem vel permittendo vel dando; quo Imperator in ultimis tutelæ definitionibus verbis, *data & permitta, respexisse creditur;* nam &

B 3 testa-

testamentaria à lege 12. tab. introducta est  
*l. i. pr. π. de testam. tut. aliisque juribus*  
*Civilibus circumscripta*, sic & dativa or-  
*tum suum ex legibus habet pro ut appa-*  
*ret ex toto tit. Instit. de Attil. tut. Prætores*  
*namque & Tribuni Romæ dabant ex lege*  
*Attilia, Præsides Provinciæ, ex lege Juliæ &*  
*Titia; hinc Consules ex officio; Prætores*  
*rursus ex constitutionibus §. 3. Instit. de*  
*Attil. ex moribus præfectus urbi, ex con-*  
*stitutione Justinianeâ defensores civita-*  
*tum cum Religiosissimo Antistite & Juri-*  
*dicus Alexandrinæ Civitatis.*

### THES. III.

Primario tamen & principaliter tute-  
*la legitima originem suam habet ex lege*  
*12. tab. à quâ legitimi vocantur, pr. Instit.*  
*de legit. agnat. tut. interpretatione etiam*  
*deferebatur patronis, pr. Instit. de legit. Pa-*  
*tron. tut. horumque exemplo parentibus*  
*pr. Instit. de legit. parent. tut. & tandem*  
*fiduciariis, tot. tit. Instit. de fiduciariâ tu-*  
*tela.*

### TH. IV.



#### THES. IV.

Novellæ vero hoc jus etiam extendent ad matrem & aviam *Nov. 118. cap. 5.*  
& ad cognatos & ex fœminis descendentes *Novella ead.* Hinc transeundum jam specialiter ad personas dantes, recipientes & datas.

#### THES. V.

Dant imprimis tutores testamentarios qui possunt facere testamenta ut certa regula sit, qui testamentum condere nequit, is nec potest testamentarium tutorem constituere. Sed multi testamentum quidem conficere valent, nequeunt tamen defectu patriæ potestatis tutores dare: Hinc inferimus furiosum & mente captum tutorem testamento constituere non posse, *l. 40. de regulis juris* § 17. π. qui testament. facere possunt, nisi tempore intervalli, *l. 9. Cod. de testam.* *l. 6. Cod. de Curatore furios.* *l. 20. §. 4. qui testam. facere poss.*

#### TH. VI.



## THES. VI.

Dare quoque nequit summè ebrius cum nec testamentum scribere nec nuncupando proferre possit, nec iratus, l. 48. π. de regulis juris, cum ira furor brevis sit vixque deliberatam mentis dispositionem permittat. De impubere non dicam cum talis Jure Civili nec Nuptias celebrare multò minus liberos gignere queat. Sed nequidem tutorem dat si malitia ætatem suppleat liberosque genuerit, cum testamentum sit juris publici nec facultas ejus competat nisi ei cui Lex concessit.

## THES. VII.

Difficilior quæstio est de minore quippe qui non solum nuptias inire potest sed & liberos gignere & testamentum facere valet, l. 4. Cod. de testam. quæ omnia inferre videntur quod minor testamento tutores dare possit, arg. §. 7. Instit. verbis: *cui totorum bonorum in testamento dispositio data est, quare non similiter ei quemadmodum alias res ita & tutelam in ultimâ voluntate*

*voluntate disponere posse. Sed obstat, quod  
videri posset eum à tutoris datione absti-  
nere debere, arg. §. 13. Instit. de Excusat.  
tut. cum incivile sit eum qui alieno au-  
xilio in rebus suis administrandis egere  
noscitur tutelam subire ergo & hanc al-  
teri demandare. Placet tamen affirmati-  
via.*

## THES. VIII.

*Surdi & Muti per accidens ut jure  
antiquo à principe testandi facultatem  
impetrabant. l. 7. π. qui test. facere poss.  
ita novo jure recte testantur l. 10. Cod.  
de testam. l. unic. Cod. de Thesauris & à  
tutelæ datione arcendi non sunt.*

## THES. IX.

*Nec ab eā repellendus est cœcus si  
loco sui octavum testem aliasque solen-  
nitates observare velit l. 8. Cod. qui te-  
stam. fac. possunt, quas tamen in testa-  
mento inter liberos solos factō eum ob-  
servare debere cum Ludvvello Exercita-  
tione 7. Thes. litera F. contra Trentle-*

IIX .HT

C

rum

rum Disput. 10. Thes. 3. litera L. negamus.

### THES. X.

Frustra quoque daret qui Civis Romanus non est, l. 3. π. qui testam. facere non poss. authent. omnes peregrini Cod. Communia de successionibus. Hinc dare nequit servus, l. 32. de regulis Juris, nec ab hostibus captus, l. 8. pr. π. qui testam. fac. poss. Et §. fin. Instit. de testam. ordinandis, bene vero dat si antequam capiatur testamentum condat vi legis Corneliae & juris postliminii.

### THES. XI.

Multò minus tutores testamento dant facti pœnæ servi l. 1. ad legem falcidiam, & deportati l. 17. §. 1. π. de pœnis, l. 8. §. 1. Et l. 2. 3. π. qui testam. facere poss. quibus accensendi sunt banniti & à Camerâ vel Imperatore proscripti.

### THES. XII.

Relegatis dandi tutores potestas nullatenus est, arg. l. 4. π. de interdict. Et relegatis.

### TH. XIII.

## THES. XIII.

De filiis familias qui de Castrenibus testari possunt disquisitio dijudicatu difficultis est; eandem tamen iisdem negamus, exinde quod liberos suos non habeant sub potestate. Prodigii ante prodigalitatem, quem dederunt tutorem, ei tutela auferranda non est, arg. l. 18. pr. π. qui testam. facere poss.

## THES. XIV.

Hæreticis quoque declaratis cùm testamenti factio adempta sit, tutores hiderare non possunt, authent. Credentes Codic. de hæreticis. Ea datio inhibenda est & Apostatis, l. 3. Cod. de Apostatis, ut inhibita est usurariis manifestis, cap. fin. de usuris in VI. atque intestabilibus qui propter carmen famosum damnati sunt, l. 18. §. fin. qui testam. facere poss.

## THES. XV.

Quod si pater Monasterium ingressurus est num poterit liberis suis dare tutorem? asserendum hoc est, si fecerit testa-

mentum antequam ingrediatur, argum.  
Novell. 123. cap. 88. & auth. si qua mulier  
Cod. de sacro sanctis ecclesiis.

## THES. XVI.

Personis his sepositis, si quis testamentum jure fecerit quoad solennia, aliquis tamen in eo reperiatur defectus potestatis, aliquando tutorem quidem dat non ut pure sit testamentarius sed à Magistratu confirmandus.

## THESES XVII.

Legitimis tamen præferendus; sic pater filio emancipato jure tutorem non dat. §. fin. Instit. de tut. ejus tamen datio confirmatur sine inquisitione, d. §. quod extendendum quoque est ad alios per sexum virilem ascendentibus, l. i. §. 2. de confirm. tut. vel Curat. nisi circumstantiae aliud suadeant, l. 8. 9. 10. π. de confirm. tut. vel Curat.

## THES. XVIII.

Pariter nec mater testatrix rectè tutorem dat, §. i. Instit. de adoptionibus, hujus ta-

tamen & ex linea maternâ ascendentium  
imo aliquando extranei quoque datio su-  
stinetur à Magistratu, l. 4. π. de testament.  
tut. l. 2. de confirm. tut. factâ inquisitione  
per Magistratum superiorem vel accepta  
satisfactione à Magistratu inferiore, l. 2.  
ε 5. π. de confirm. tut. tandem nec pa-  
tronus recte tutorem dat. l. 1. §. 1. versu si  
ita π. de confirm. tut. interdum tamen &  
hujus datio confirmatur, l. 4. π. dicto tit.

## THES. XIX.

Dicendum jam esset quænam leges  
tutores darent, sed brevibus rem comple-  
ctor; dabat quondam lex 12. tabul. pr. In-  
stit. de legit. agn. tut. hinc per interpreta-  
tionem populus, arg. tit. de legit. patr. tut.  
& forsan idem tutelam deferebat paren-  
tibus, arg. tit. Instit. de legitim. parent. tut.  
Novella vero constitutio plures adhuc fa-  
cit tutores de quo videri potest. Nov. 118.  
cap. 5. hoc saltem observato ut qui tute-  
lam accipere debent, perfectæ sint ætatis,  
verbis final. tit. Instit. de fiduciaria tut.

C 3

TH. XX.

## THES. XX.

Circa tutelam dativam jus diversis temporibus fuit diversum; reperimus enim in tit. *Instit. de Attil. tutore quadruplicis juris vestigia.* De cœtero vi jurisdictionis nemo dat tutorem, sed opus est speciali aliquâ lege, vi cujus Magistratui jus competit dandi tutores prout videre est ex l. 8. π. de tut. de *Curat.* datis juncta i. *Cod. de officio prætorum,* & 2. *Cod. de officio ejus qui vices alicujus obtinet.*

## THES. XXI.

Breviter qui dare tutores vult tanquam Magistratus debet esse competens, seu speciale habere concessionem, l. 6. π. de tut. hanc autem potestatem ab initio lex Attilia concesserat in urbe prætori urbano & tribunis plebis; in provinciis vero lex Juliâ & Titia provinciarum præsidibus, pr. *Instit. de Attil. tutore.*

## THES. XXII.

Postea & consules ex inquisitione tutores dare cœperunt, §. 3. *Instit. dict. Tit.*  
do-

donec prætores satisdatione exacta, & ad-  
ministrationibus postulatis ex constitu-  
tionibus dabant, *dicto* §. 3.

THES. XXIII.

Porro tutores dandi potestas collata  
est, præfecto urbi & in provinciis præsi-  
dibus, §. 4. *Instit. de Attiliano tute.*

THES. XXIV.

Tandem Justinianus potestatem hanc  
concessit defensoribus Civitatum cum re-  
ligiosissimo Antistite aliisque personis pu-  
blicis; Juridico Alexandrinæ Civitatis si  
pupilli facultates ad quingentos solidos  
valeant, §. 5. *Instit. de Attil. tut.*

THES. XXV.

Hodie subditis Imperii Romano-Ger-  
manici mediatis tutores dant qui habent  
jurisdictionem ordinariam etiam inferio-  
rem; immediatis vero Statibus dantur à  
Camera vel Imperatore *Gail. lib. I. obs. I.*  
*Numero 42.*

TH. XXVI.

## THES. XXVI.

Sed cum alio in loco possit educari  
 pupillus ibique habere domicilium, *vid.*  
*l. 3. Cod. de Municipiis.* alibi vero bona  
 sita esse possint, quæritur *l. un. in fin. Cod.*  
*ubi petuntur tutores,* quis Magistratum  
 tutorem constituet? & respondetur præ-  
 ferri Magistratum domicilii, *dicta lege uni-*  
*ca Cod.* Cui tamen si bona ultra centesi-  
 mum lapidem sita sunt Magistratus ratio-  
 ne bonorum alterum tutorem ad-  
 jungit, *l. 21, §. 2. de excusatio-*  
*nibus:*

F. I. N. I. S.

THESES.



THESES.


Ka 3202.


Vp  
18

ULB Halle  
007 678 533

3







LVI.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIONIS JURIDICÆ,  
DE  
**TUTELIS,**  
PRIORA CAPITA  
PRÆSIDE  
*VIRO Nobilissimo, Amplissimo,  
Consultissimo atq; Excellentissimo*  
**DN. JOHANNE HENRICO  
FELTZIO,**  
J. U. D. Pandect. & Juris Canonici  
P. P. Ordinario, & Capituli Thomani  
Canonico,  
*SOLENNI Disquisitioni*  
Ad d. 18. Februarij Anno M DCC V.  
*sistit*  
**JOH. JOSEPHUS MANNIERE,**  
Molshemensis, Auctor. 56

---

*ARGENTORATI,  
LITERIS JOSIAE STÆDELII, Acad. Typogr.*